DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA DE LINGVA GERMANORUM VETERI ET HODIERNA,

Quam

Favente summo Numine

&

Approbante Amplissimo Senatu Philosophico,

PRÆSIDE

M. CHRISTIANO GRÜBELIO,

placido Eruditorum Examini exponit

JEREMIAS SCHRÖTER,

HEUSDORFA-THURING. LL. Cultor.

AUCTOR

ad diem Junii.

Anno Christiano M. DC. LXX.

Horis locoq; consvetis.

JENÆ,

Imprimebat SAMUEL KREBSIUS.

VIRIS,

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

DUCI SAXONIÆ JUL. CLIV. AC MONT. &c.

TUTORIBUS ELECTORE

JOHANNE GEORGIO II. ET MAURITIO,

Ducibus Saxoniæ &c. Fratribus Serenissimis,

à Consiliis intimis morumque & Studiorum formatione,

Generoso, Magnificis, maximè Strenuo, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,

DN. JOHANNI ERNESTO à TROYF,
in Knau/ Consiliario nec non Serenissimi Principis morum & Studiorum Præfecto Gravissimo,

DN. JOHANNI CASPARO HENDRICH,
JCto Consummatissimo & Consiliario Spectatissimo,

DN. JOHANNI GEORGIO FÖRSTERO,
in Troschka & Flußstädt/ JCto Celeberrimo, Consiliario Cameræ Redituumque Ducalium Directori maximè Conspicuo,

DN. CHRISTIANO FRIDERICO HOEFERO,
Illustrissimi Ducis Informatori Dexterrimo,

Dominis Mœcenatibus, Patronis atq; Promotoribus suis summè Observandis

Exercitium hoc Academicum in debitæ observantiæ tesseram

submissè offert ac consecrat

Jeremias Schröter.

PROOEMIUM.

DIversa quidem hominum sunt ingenia, nec major ullibi, quam in sententiis, discrepantia est: Nescio tamen, qui in eo plerique conveniant, ut dissita mirentur, & magnifaciant aliena, minus æqui suorum æstimatores. Laudant Romanorum virtutes Germani, & magnifaciunt Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Fabios atque Metellos, nec minus clarum apud nos ex Græcis Miltiadis, Themistoclis, Aristidis, Cimonis, Alcibiadis, Iphicratis & Epaminondæ nomen est. Sed laudent, modo ut excitent, & calcar addant animis ad virtutem natis. Si vero, quod aliena sunt, magnifaciunt, indignum profecto facinus est, nec tolerandum prudentibus. Edidit enim nostra gens non minora virtutis & fidei documenta, sed dissimili studio notata & minus fideliter conservata; Inde pleraque consumsit injuria temporum & ætas. Periêre de Germanorum bellis libri peculiares, quos *Plinius Secundus & Asinius Quadratus* reliquerunt, quorum illius *Tacitus*, hujus *Agathias* meminerunt. Nec usquam hodie inveniuntur *Ablabii & Dionis Gothica* nisi in *Jornande;* nec *Secundi gesta Longobardorum* nisi in *Paulo Diacono*, de quibus videri potest *Freber. in Not. ad Petr. de Andlo l. 1.* Primus qui ad nos pervenit & quicquam tentavit, quod ad gentis nostræ illustrationem faceret, fuit *Cajus Julius Cæsar*. Sed qua fide de Germanis ille scripserit, non solum ex illustris *Scaligeri* judicio, quod in Epistola ad Plantinum habet, colligi potest, sed & aliquo modo conjectura consequi licet inde, quod Cæsar Germanorum hostis esset infensissimus, & ferè non nisi ex hostium ore relata recenseret. *Cornelius Tacitus* bonæ quidem fidei autor est, & hôc præ reliquis gaudet, ut paucis multa dicat satis feliciter, minor tamen ejus de *Germanorum Moribus* liber est, quàm

qui explere possit animum inhiantem res singulorum. Supplent tamen nonnulla doctissimi in eum Commentatores *B. Rhenanus*, *Willichius* & *Althammerus*, qui una cum aliis in *Schardii* nobilissimo opere *4. integr. Tom. edit.* continentur, quod tamen hodie vix reperitur. A Taciti ævo, qui exactius res majorum nostrorum tradiderit, vix quisquam est, præter *Ammianum Marcellinum*, quippe qui non audita narrat, sed visa, & quibus ipse interfuit. Dolenda igitur eò plus est, quò majus damnum Reip. literariæ affert, jactura XIII. librorum, qui injuria temporũ intercidere. Nominanda hìc quoque est *Francisci Irenici Exegesis Germaniæ*, utpote unum ex præcipuis opus. Superiori ætate novum illustrandæ Germaniæ antiquæ in se suscepit laborem *Vir laboriosissimus Philippus Cluverius*, qui tribus libris tantum conatus omnium superavit, quantum ingenii viribus & istarum literarum usu mortales plerosque antecelluit. Nec tamen, quæ hominum imbecillitas est, suis destituitur nævis. Eum enim & in corrigendis Autoribus nimis audacem esse, & aliquando ea habere, quæ cum probatissimis vix conveniunt, diu notatum ab eruditis est. Insigni hoc nos docet exemplo *Vir supra laudem positus & in Antiquitatibus Germanicis versatissimus Dn. Hermannus Conringius*, dum, quod Cluverius in effigie habeat Germanum omnibus vestibus destitutum, nec obscurè indicet, ita incessisse antiquos, ei Taciti locum de *Mor. Germ. c. 17. n. 1. opponit : Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina consutum.* Extant & alii iique recentiores, qui declarandarum rerum Germanicarum periculum fecere, ab *illustri Bœclero in Bibliotheca* & *Schottelio c. l.* recensiti; sed idem de plerisque judicium est, quod de Grasvvinkelio ferunt, qui *in Opere de Libertate Veneta* è *Mutio* tanquam è fundo pleraque desumsit, cùm tamen longè vetustiores & avthentici extent Autores. Parem cum virtute veterum, cujus hinc inde non nisi parcissimè, & ferè absque ullo autoris nomine mentio fit, fortunam, Lingva nostra Germanica sustinuit. Quotus enim quisque fuit, qui ex veteribus, aut de initiis, aut incrementis & variis mutationibus, quibus fatali penè edicto omnes Lingvæ subjacent, quicquam de ea reliquit? Quin & nostra quoque ætas utplurimum eò usque insaniæ abit, ut vitio vertat iis, qui suam eruendæ Lingvæ nostræ operam destinarunt,

quo-

quoniam exoticum ea bonum non est. Egregia sanè ratio est, si Diis placet, quâ evincere conaris, minus æstimandum esse, quò sæpius uteris. Stet ex merito sua cuique laus. Probè id secum perpendit *Illustrissimum Fructiferorum Sodalitium, ejusque non ignobile membrum, Justus Georgius Schottelius*, qui primus prolixiorem introduxit linguæ in artem redigendæ rationem & ordinem, quod institutum tamen ante eum brevissimis quidem, satis tamen feliciter executus est *Clajus in Grammatica Germanica.* Neque cur uterque id faceret, ratio defuit aut usus. Habet enim nostra, qua sese præ Græca pariter & Latina commendet simul, incredibilem & infinitam componendarum vocum vim & felicitatem: Habet primitiva plurima. Nec est aliquid temere elegantiæ, quo cuiquam lingvarum sit secunda: Nisi quod dum verbis auxiliaribus cogitur aliis suppetias nimis frequentes ferre, justo possit videri prolixior, & Græcanicam Latinamque brevitatem haud assequatur. Late præterea usus Lingvæ nostræ porrectus est per magnam Europæ partem, quæ profecto vel sola ejus dignitas nos merito invitaverit ad universam ejus rationem perscrutandam. Sed prolixius est institutum, quàm ut perfici possit breviter. Ne igitur transeat modum tractatio nostra, aut in justum volumen excrescat Dissertatio, illud agemus, ut quoad summa capita singula tangamus, additis insuper Autorum nominibus, ubi plura reperies. Sit igitur bono cum Deo

§. I.

QUia *Lingva* quid notet, *& pueri norunt, & qui nondum ære lavantur*, ipsimet nobis veniam pollicemur ab omnibus, si declarandis iis, quæ ad solis mensam sunt exposita, chartam non perdamus. Quin potius, ut utilibus dulcia misceamus, paulo uberius inquirimus, cur nostra hæc Lingva *Germanorum* lingva audiat. Et qvidem quòd à Gente ita dicatur, nemo est, qvi ignoret. Unde vero, ut eò abeamus usque, nomen habeat gens, & quale illud sit, originem si spectes, non una est Autorum sententia. Nonnulli enim ex Ebræis fontibus nomen Germani deducunt: Alii ejus originem in Latio quærunt: Sunt, qui eandem à Gallis peti malint: Nec desunt, qui ex nostra Lingva natam

vocem affirment. Qui ex Ebræis derivant, itidem inter se non conveniunt; Siquidem multi illud ut commune, sed parum feliciter, à combinatione vocum גרים & עני derivatum per *inopes advenas* interpretantur: Longius paulo abeunt, qui cum *Adriano Junio c. 21. Batav.* ut gentilitium explicant, & à *Thogarma* natu minimo filio Gomeri deducunt, eò quod ex eo orti sint Germani. Colorem huic sententiæ facit *Chaldeus*, qui *Ezechielis c. 38. v. 6.* בֵּית תּוֹגַרְמָה *domus Thogarma* per מְדִינַת גַּרְמַמְיָא i. e. *provinciam Germaniæ* reddit. Sed rident hanc sententiam nonnulli, eò quod recentiores Judæi, *ut Vossius de Idol. l. 1. c. 38.* & *Cambdenus in Britannia sua sub init.* observant, nos ab Ascenaz *Ascenazim* appellent, Turcas vero & à Thogarma ortos, & inde quoque dictos credunt. Huic sententiæ & *Josephum* favere putant *lib. 1. Antiqv. c. 7.* ubi vulgo quidem legas: Ἀσχανάζης Ἀσχανάζας ᾤκισεν. (MSC. Codex Viennensis Ἀσχάναζος ἀσχανάζυς ᾤκησεν habet) Οἳ νῦν Ῥηγῖνες (MSC. cod. Vienn. Ῥιγῖνες legit) ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦνται. *Aschanazes condidit Aschanazas: Qui nunc Rhegines, (sive Rhegini) à Græcis appellantur.* Sed plerique, & in his *Antonius Delrius Gloss. in Genes. 10. 3.* pro Ῥηγῖνες Γερμανοὶ *Germani*: alii Ῥηνογενεῖς *Rhenenses* vel *Rhenigenæ*, reponere jubent. Et sanè erudita conjectura non omnino nullo fundamento nititur. Parum enim verisimile videbatur viris magnis, Josephum silentio præteriturum fuisse parentem populosæ Germaniæ, suis temporibus bello cum Romanis gesto celebratissimæ. Verum expirat penitus conjectura, quod sic jam olim in Josepho lectum sit, ut ex *Eusebio*, *Hieronymo*, atque hos exscribente *Isidoro* constat. Et licet de Ascenaze in Germaniam profecto sententia ita recepta sit, ut pleraque nostri seculi scripta infecerit, infirmior tamen est, quam ut quicquam solidi niti eâ possit. Fuère enim Ascenazim minoris Asiæ populi, mari Ægæo propiores, ut bene ex *Jeremia 51. 27.* sentit *Hierosolymitanus*, cum quo, si non omnino convenit, haud multum tamen abit *Theodoretus*. Videri possunt, qui eruditè contra communem sententiam pugnant *Paulus Merula Cosmogr. part. 1. lib. 3. c. 14. Vossius de idolol. l. 1. c. 35. Abrah. Ortelius in Thesauro Cosmographico in Aschenaxi, Bochartus in Phaleg. lib. 3. cap. 9. p. 196. & Christoph. Adam. Ruperti Observ. in Synops. Besold.*

c. 1.

c. 1. p. 12. Non igitur quæ adducta sunt hactenus, jugulare videntur sententiam, quæ de Thogarma est. Destruere tamen eandem videtur, quòd Thogarma unà cum posteris ad Aquilonem habitaverit, ut habet *Ezechiel Propheta c. 38. v. 6.* Ubi Thogarmæi latera aquilonis describuntur inter eos, quos Gogus Syrarum Gentium Dux secum adversus Israelitas trahit ad bellum. *Vide quæ in Glossa ad Textum habet B. Lutherus.* Quod si verò ex Ebræa Lingva, ceu fonte reliquarum, originem vocis deducere placeret, ex Gomero ut ortos sic ab eodem dictos crederem potius, quam aliunde. Ille enim relictis tribus filiis *Ascenazo, Riphate & Thogarma* in Asia, ulterius progressus est, & ex aliis filiis maximas gentes Gallorum, Scytharum & Germanorum condidit, ubi & nominis sui vestigia haud obscurè reliquit. *vid. plura, quæ huc faciunt, apud Rupertum d. l. p. 17. & 18.*

§. 2.

Qui originem vocis in Latio quærunt, parum inter se conveniunt, nec minus inepti sunt nonnulli. Sic *Clementinarum Interpres*, ut habet *Glossa ejus de jurejurando à gigno & immania* vel *à gerendo & immania* Germaniam dictam putat. Sed immane quantum aberrat bonus Interpres; quare digna *Berneggero* judice *in Quæst. Miscell. ad Tacit. 7.* derivatio est, quæ in *Isidori Hispalensis Originum libros* referatur, similes sibi plurimas ibi repertura. *Joannes Teutonicus Decretorum Interpres Distinct. 34. in Glossa cap. quorundam, à Germine* deducit, eò, quòd Germania verum nobilitatis germen sit. A *germinando* vero format *Æneas Sylvius*, qui postea Pontifex maximus creatus & Pius II. vocatus est, quòd dives hominum terra sit, ut habet *Solinus Polyhistor. c. 32.* & ex *Jornande Berneggerus d. l.* quam sententiam quoque fovebat *Petrus de Andlo lib. 1. c. 15.* & *Paulus Diaconus lib. 1. de gestis Longobardorum.* Accuratius paulo nobis videntur, qui à nomine communi *Germanus* nomen Gentis deducunt: Sed quoniam non una est vocis significatio, diversas quidem illa peperit rationes, scitu tamen non injucundas, cur nomen illud genti sit inditum. *Erasmus Roterodamus in Schol. ad Hieronym.* per γνήσιον i. e. *verum & sincerum* exponit, & inde Germanorum gentem dictam putat. Nec inelegantem sententiæ hujus suæ rationem reddit: *Quia*, inquit,

inquit, *si cum reliquis nationibus conferas Germanos, minimum fuci, plurimum antiquæ sinceritatis ac fidei, & rusticanæ, ut dici solet, veritatis obtinent.* Alii Germanos dictos volunt quasi fratres; *Germanus* enim fratrem notat. Sed cur ita dicantur, Autores in diversas abeunt partes. Siquidem *Strabo l. 7. Geograph. pag. 194. edit. Heresbach.* inde nos dictos putat, quòd ob nominis, Celtarum puta, formæ, staturæ corporum, vitæque & morum similitudinem fratres Gallorum esse videantur. Nonnulli ob mutuam dilectionem, quod se invicem fratrum instar ament ac foveant, eosdem *Germanos* appellatos credunt. Atque hanc sententiam probant *primus Germaniæ Poeta Conradus Celtes,* cujus versiculi apud *Berneggerum* & *Harsdörferum Specim. Philol. Germ. Disqv. 2. §. 2.* reperiuntur, & *Autor Germaniæ deploratæ,* quando Gallos & Svecos ad fraternam concordiam ita hortatur: *Quia Germani estis, si natales vestros & omnem historiæ fidem agnoscitis: Quicquid concedetur, id dabitur communi origini & Germanorm majoribus, ex quibus ni ortum duxissetis sangvinem, tantum arma vestra per Germaniam haud potuissent. Germani estis, fratres estis, cur certatis? ex Actis Apost. 7. v. 26.* Aliam, nec minus commodam rationem, cur ita dicti sint Germani, reddit, & satis acriter propugnat *Ægidius Tschudus Glaronensis in Epist. ad B. Rhenanum, quæ Rhætiæ Alpinæ descriptioni est adjuncta:* Ab exteris enim ideo illis *Germanorum* nomen datum asserit, quod sese mutuò in bellis fratres appellitaverint. Et sane antiquissima nec minus hodienum usitata formula est, qua non solùm sese milites invicem, sed etiam Duces ipsi suos milites ad bellum excitaturi compellare solent: Ihr Brüder. Verisimile *Nobiliss. Harsdörfero* videtur, inde ortum traxisse fraternitates die Brüderschafften & Dutzgenossen. De qua re ipso Autore videri possunt *Ægidius Tschudus Epist. cit.* & *Pighius in Herc. Prodicio f. 9. & 20.*

§. 3.

Lipsius, quem & *Cluverius l. 2. Germ. Antiqu. c. 20.* sequitur, ex Lingva Gallica deducit, ubi *gverre*, quod Hispanis & Italis *gverra*, Anglis & Scotis *Warre* dicitur, bellum notat. Ut ita ex vi hujus Etymi Germanus idem sit, ac vir militiæ addictus. Quæ ratio pulchrè subsistit. Novimus enim quam strenuè bella gesserint &

quam

[redacted] & quam fortiter in acie ſteterint veteres Germani. Longius paulo abit, qui apud doctos plerumque vapulat, *Johannes Goropius Becanus*. Is enim appellatos Germanos vult ab antiquo vocabulo Celtico Wer & mann / quæ ſententia ſuperiori non repugnat, ſiquidem remotior hæc & mediata, illa proxima & immediata etymologia eſſe videtur. Quod ut intelligas rectius, noſſe juvat, quod obſervavit & multis exemplis declaravit *Schottelius de L. G. l. 2. c. 2. p. 218.* Germanorum W à peregrinis ſæpiſſimè eſſe mutatum in gv. Vocabulum igitur Gallicum *gverre* Celticum eſt, originem ſi ſpectes, nam Were ibi cum illo ejusdem ſignificationis eſt. A Gallico vero potiùs eliſo U *Germanum* dici, quàm à Celtico Were / præter literarum convenientiam & pronunciandi rationem fides hiſtorica approbat. Hæc enim primùm à Gallis *Germanos* appellatos tradit, ut ex *Tacito* conſtat; ita enim ille de *Morib. German. c. 2. n. 6. Germaniæ vocabulum recens eſt & nuper additum, quoniam qui primùm Rhenum transgreſſi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati ſint. Ita nationis nomen non gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à ſe ipſis invento nomine Germani vocarentur.* Ubi tamen an ſubſiſtat, quod *Germaniæ vocabulum recens & nuper additum*, vel, ut alii legunt, *auditum* dicit, non immerito dubitaveris. Refertur enim M. Marcelli de Inſubribus & Germanis triumphus *in Faſtis Capit. ad ann. urb. condit. 531. Reinerus Reineccius part. 3. Hiſt. Jul. de Regno Germ. f. 400.* Quid? quod jamdiu ante Urbem à Gallis captam crematamque teſte *Livio* Germani Duce Elitovio alpes eas, ubi nunc Brixia & Verona urbes ſunt, tranſcenderint. Licet vero illa, quam recenſuimus, ſententia vero maximè conſentanea videatur, ſunt tamen, qui ex noſtra potius Lingva *Germanorum* nomen deducere malunt, quàm aliunde. Et in horum numero eſt *B. Rhenanus*, *Willichius*, *Peucerus atque Berneggerus*. Nec tamen & hi inter ſe conveniunt. *Peucerus* enim dictum putat *Germanum* quaſi Heermann / ut ita vi originis notet virum, qui caſtra ſequitur. Veriſimilius alii ab antiquo Ger / quod veteribus Gar denotabat, deducunt, ut Germanus idem ſit, ac ὁλόανδρος fortis ac ſtrenuus vir. Quæ ſententia nobis eò videtur probabilior, quò plura exempla recenſet *Berneg-*

 neg-

neggerus quæst.7. Ubi eadem vox non infeliciter cum aliis componitur.

§. 4.

Quàm diversimodè Autores sentiant, cur vernacula nostra *Germanorum* Lingva dicatur, satis hactenus, ni fallor ostensum est. Nec ignorare potest, nisi qui nesciat, quibus ipse appellitetur nominibus, quòd eadem alia quoque nomina habeat. Dicitur enim & familiarius quidem *Teutonica*, procul dubio à *Tuiscone* quodam Germanorum Rege, ut placet *Sebastiano* Francken *Annal. f. 10.* Moris enim erat apud antiquos, ut Deorum nomina Reges adsciscerent. Cujus rei complura adducit exempla *Reinesius in Tract. de Deo Endovell. non procul ab initio.* Aut potius à *Tuistone*, vel si cum *Cluverio l. 1. Germ. Ant. c. 9. Berneggero* & *Conringio* legere mavis, *Tuiscone*, aut cum *Kirchmeiero, Teutone*, quod & *Conringio* placet, præcipuo Germânorum Deo. A Deo enim gens dici malebat, quam aliunde, partim ut cultum Dei inculcaret suis, partim ut hostes ipso nomine terreret. Sed qui fuerit ille, quem coluerunt ex veterum sententia paulo intricatior res est. Eruditissimus *Cluverius lib. 1. G. A. c. 29. Cæsaris* testimonio *l. 6 Belli Gall.* inductus, *priscos Germanos unum, verum, æternum Deum in Trinitate coluisse sub Solis, Lunæ atque Ignis numinibus credit.* Atque utinam vera esset, quam facit conjecturam Cluverius, cum dogmatis causa quod sanctè credimus, tum gentis ergo ex qua nati sumus. Sed decollat spes omnis. *Cæsar* enim disertis verbis, *non alios Germanos Deos coluisse* affirmat, *quam quos viderint.* Quin & si salva res esset, quid quæso prohiberet, quo minus de Peruanis idem colligeres, cum & ipsis tres summi sint Dii, *Vimcoche, Sol & Tonitru*, ut scribit *Josephus à Costa lib. 5. Rer. Occid. Ind. c. 4?* Per Tuisconem igitur veteres unum eumque verum Deum non intellexerunt. Quin potius sub stulta fide rudimenta doctrinæ veteris latere persvasum habemus, idque ductu *Taciti*, qui *de Mor Germ. c. 2. n. 3.* Tuisconem terrâ editum credidisse veteres, & Mannum tres filios habuisse dicit. Quibus igitur illa potius conveniant, quàm Adamo ex limo terræ producto & Noacho tres filios habenti, non apparet. Erit igitur hic ex sententia veterum Mannus, ille verò Tuisco. Invaluit vero ita de Tuiscone Deo sententia, ut salva subsiste-

subsisteret, donec lumen Evangelii per Germaniam oriretur, quod quia serius factum, inde etiamnum numismata reperiuntur, quibus idola Germanorum impressa videas, qualia nonnulla ante multa secula sed absque mentione vel autoris vel temporis cusa in *Antiquario Gerbardino* asservantur. Alia quæ his addi possent, reperies apud *Vossium de Idol. lib. 1. c. 37. Reinesium de Deo Endovell. Schottel. de L. G. Orat. 3. p. 35. & 36. Harsdörferum Specim. Philol. Disqu. 2. Rupertum Orat. 12. p. 587. Kirchmeierum Comment. in Germ. Taciti p. 41.* Id tamen prætereundum minimè videtur, quòd nonnulli ex eruditis Celtas ex Ægypto secum vocem *Teut* attulisse putent, ibi enim, ut habet *Cicero lib. 3. de Nat. Deor.* *Thoyt* Mercurium notat, quam vocem *Aldi Senioris*, *Roberti Stephani* & *Lambiniana editiones* habent, nec ab his *Aldus nepos* in sua abit, nisi quòd y in i mutet. Alii tamen, quòd Ægyptii Græcos secuti vocem Θεῦθ, quæ in *Platonis Phædro p. 274. edit. Steph.* reperitur, retinuerint, posthabitis illis apud *Tullium* legere malunt *Theut*. *Vossius* dissensu Codicum & MStorum autoritate commotus *Thoyt* vel *Thout* legendum censet. Sed nisi me conjectura fallit, quod pace summorum virorum dixerim, Celtas ab Ægyptiis sui nominis rationem petiisse, vix subsistet. Refert enim *ex Trogo Justinus lib. 2.* quod diu inter Ægyptios & Scythas de generis antiquitate contentio fuerit, *in quo certamine superatis Ægyptiis antiquiores semper Scythæ visi sunt.* Vanas præterea fuisse ampullas Arcadum & Ægyptiorum Annales ineptè Chronologiam instituisse, quibus suam & lingvæ suæ antiquitatem studuerunt nobilitare, docet *Differt. 1. Thomas Hayne in libr. de cognat. Lingv.*

§. 5.

Expeditis iis, quæ ad nominis declarationem faciebant, ad rem ipsam accedimus propius. Antequam autem de incrementis aut virili ætate linguæ nostræ agamus, ratio instituti exigere videtur & ordo, ut unde & quando illa exorta sit, declaremus. Occurrunt vero circa originem lingvæ non minus quàm alibi falsæ sententiæ, quibus satisfaciendum prius, quam quæ verior sit aperiamus. Et *Goropius* quidem *Becanus Annium Veterbiensem* secutus contra quem *Lilius Gyraldus* scripsit, in *Indo Scythicis & Hermathena* passim Cimbricam seu Belgicam lingvam, per quam

veterem Teutonicam intelligit, primam & antiquissimam facit, unde ex eadem reliquas omnes tanquam ex matrice, ut *Lipsius* loquitur *Cent. 3. ad Belg. Epist. 44.* una cum Hebræa deducit: Quin & ipsum Adamum in Paradiso germanicè locutum fuisse, asserit. Videri potest, qui prolixius ejus sententiam proponit, *Casp. Waserus in Comment. ad Mithridatem Gesnerianum p. 113.* Potissima vero ratio, cujus robore motus vernaculæ nostræ primas tribuit, habetur *lib. 2. Hermathenæ.* Videlicet antiquissima sunt, quæ simplicissima. Simpliciorem vero nostram esse reliquis ex monosyllabis colligit, quæ in Lingva Germanica occurrunt: Hæc enim, ut ipse vult tota monosyllaba est. Et verum est examinanti, si voces primitivas spectes, ut *Cuspinianus in præfat. Austria. B. Rhenanus lib. 2. Rer Germ. D. Henischius in Præfat. sui Thesauri & Lehmannus in Chron. Spirensi* prolixius probant. *Quid tum autem? inquit Lipsius c. l. antiquissima? negatur. Si in rerum naturæ & genitura manes, fateor, simplicia praire: non idem in sermone, si cum altero comparetur. Neque enim iste talis à natura est, sed ab instituto, arte, casu. Et tamen positioni si adnuam, nec sic obtinebit. Nam Sinenses ecce plerasque voces hodie unisyllabas habent, easque variæ significationis, nec nisi accentu aut tono, in pronunciando discernendas. Itaque ii de palma certent.* Sed desino lusum. Reliqua enim quæ Becanus habet, ita frivola sunt, ut vix sine indignatiuncula aut risu legeret Heracletus aliquis, si viveret, aut Lucillianus ille Crassus, Non igitur quicquam causæ habuit, inde cur timeret *ὁ πάνυ Buxtorfius Differt. de Orig. & Antiqu. l. 5. Th. 32. 33. seqq. Mayerus Phil. Sacr. P. II. p. 351. & Waltonus Appar. ad Bibl. Polyglotta Angl. Proleg. 3. n. 3.* dum aliquot validissimis rationibus probant, omnium primam ex lingvis esse Ebraicam; id quod universam quoque antiquitatem credidisse scribit *Hieronym. Epist. 144.* Non tamen omnino frustraneo conatu persvadere aliis, quod sentiret, conatus est Becanus. Abfuit enim haud multum, quin ipsi in Βεκκεσελήνων scena succederet *Adrianus Scriekius*, sed diffisus ipse malæ antecessoris sui causæ paululum recessit ab ejus sententia, Ebræam quidem antiquissimam, Belgicam tamen proximam, nec nisi dialecto diversam ab ea lingvam statuens in *Origine Monitorum*, nec non in *Adversariorum*

libris,

libris. Sed vel exinde satis bene cognoveris, quàm parum respondeat operi titulus sesquipedalis, qui nonnisi magna cum indignatione Philebræorum ei præfixus ita habet:

Opus, an autorem potius admirer, dubito, opus summo & incomparabili ingenio scriptum, nullo exemplo ostendit, in Ebraico nostrum, in nostro Ebraicum idioma esse, mysteriis plenum Deo proximum.
Autor Adrianus Scriekius Rodornius est, divinitus magis, quàm humanitus edoctus.
Lingvarum omnium & ætatum Varro;
Cui nostra debet ætas lingvarum omnium causa,
Nostra lingva omnium ætatum.

Joco potius, quàm seriò factum credo, quod *Petrus Royzius Mauraeus Hispanus Consiliarius Regius in Polonia*, cum animadvertisset famulos *Johannis Langi à Cæsare Ferdinando I. Legati* germanicè loquentes pronunciare duriusculè, eos tali scommate illuderet: *Germani non loquuntur, sed fulminant, & credo ego, mi Lange, Deum ex indignatione hoc sermonis fulmine usum, cum primos parentes extruderet Paradiso.* Cui *Langus*: *Ego vero*, ajebat, *censeo, serpentem svavi & blando vocis Hispanicæ fuco usum, cum deciperet Evam.* Difficilius paulò est, satisfacere illi, quod à monumentis lapidum Runicorum veterum bustis ac specubus apud Gothos affixis petitur: Ea enim ante aut paulò post diluvium erecta fuisse, scribit *Johannes Magni Hist. Sveo. Goth. c. 8.* Verùm suspecta meritò ejus habetur fides, qui quicquam, quod contra gravissimorum autorum placita est, adstruit. Nec, illa autoritate si destitueremur, inde colligi posset, vetustissimam nostram esse, aut unà cum Ebræa solam extitisse ante Lingvarum confusionem Nam quis præter *Johannem Magnum* Inscriptiones istas vidit? Quis præter eum quid de iis prodidit? Jam si vidit, cur, ubi extent, non indicavit? Cur earum non proposuit argumentum? qui longè minora persequitur, quàm quæ videntur certissimum vetustissimæ antiquitatis indicium. Deinde, cum multò recentiora sint, antiquissima tamen monumenta, quæ *Olaus Wormius in Monum. Dan. Johannes Bureus Regni Svecici quondam Antiquarius, & celeberrimus Schefferus in Upsal. antiqu.* illustrant, quis crederet, præteriisse

eos antiquiora? Quod si nihilominus extitissent, vix ea hodie sciri aut intelligi posse, inde mihi persvadeo, quod rupes Haraldina tanto recentius in Blekingia monumentum, sic exesum vetustate est, ut vestigia literarum ne Waldemari quidem secundi temporibus, hoc est ante annos quadringentos, sicut *Saxo Sialandicus* fatetur, potuerint cognosci, aut ex iis sensus ullus percipi, quid igitur de antiquioribus judicari debeat, nemo est, qui non intelligat.

§. 6.

Quemadmodum verò antiquiorem illi, sic recentiorem, quàm par est, lingvam nostram finxerunt alii, qui nescio, utrum Græcis & Latinis literis & vocum similitudine, an aliunde decepti ad fundum non pervenerunt, sed ex Græca & Latina conflatam nostram existimarunt. Faciunt errori colorem, dum antiquissima hodienum extare lingvæ nostræ monumenta dicunt, quæ Græcis & Latinis literis sint exerata. Quin & nec deesse vocabula, eaque numero plurima, quæ commodius à Græcis aut Latinis deducantur, quàm aliunde. Collegit ex iis nonnulla *Schottelius Orat. 9. p. 138.* & ex eo unà cum ejus judicio super illo instituto *Theod. Kirchmaier in Disput. de Ætat. Lingv. Teut. at. 1. §. 4.* Exinde quid deducat *Johannes Gryphiander de Weichbildis c. 38. p. 139.* obscurum legenti non est. Ita enim ille: *Primævam lingvæ integritatem cernere licet in derivatis à Latino vocabulis, in quibus Saxonica Dialectus propius ad Latinam lingvam accedit.* Unde vero Germani Græca & Latina habeant vocabula, aperiunt, dum multos ex Germanis Brenno, Acichorio & Belgio Ducibus in Asiam migrasse, ibique multa vocabula mutuatos esse docent. Pari modo & Cimbros in Italiam profectos esse dicunt, qui inde complures voces suæ Lingvæ retulerint. Sed quoniam id serius factum est, quis temerè crediderit, earum rerum, quæ jam ante à gentis primordio fuerunt in gente vocabula non habuisse veteres, donec ea ab exteris acceperint? Quare falsè quidem & perquā facetè, nescio tamen an judiciosè satis (quod, antequam Germani commercia exercerent cum Romanis, vini usus in Germania nullus daretur) de Etymo, quo Germanicum Wein à *vino* deducebat nonnemo, *Poeta* ita ludit:

Igno-

Ignorasse putas Germanum nomina vini?
Ille vocare novit (rectius *potest) quod potuit bibere.*

Quin imò si daretur, successu temporis voces nonnullas in lingvam nostram introductas esse, de quo quidem postea erit agendi locus, quis quæso inde sibi persvaderet, ortum traxisse nostram ex latina lingva? Nam pari modo successu temporis voces ex nostra lingva in latinam migrarunt. Anne igitur ex nostra latina & ex latina nostra lingva nata est? minime. Nec ullus dubitationi locus relinquendus est. Patet enim id ipsum ex *Vegetio, Ammiano Marcellino* & aliis illius ævi scriptoribus de nonnullis Disciplinæ militaris & in his maximè dignitatum vocabulis, antea Romanis ignotis, quæ tamen & ipsa nos à Romanis habere quidam imperitè docent. Confer si placet, quæ ex *Ottone Frisingensi, Hermanno Contracto, Radevico, Chronico Colmariensi, Ditmaro, & aliis qui in Tomis Illustrium Germaniæ Historicorum* continentur, collegit *Schottelius Orat. 8. p. 128. Stumpfius in Chron. Helvet. l. 3. c. 52.* antiquissimos Francorum duas habuisse leges scribit, *Salicam* unam, alteram *Ripuariam*, quæ latinè versæ multas origine voces Germanicas continuerint, quales sunt *Weergelta, Helmus, Fredus, Verbannitus, Gravio*, de qua ultima tamen nondum satis convenit inter Autores. *Mekerchius* enim, quem simul citat & refutat *Vossius de Vit. Serm. lib. 2. p. 214.* ἀπὸ τὸ γράφειν deducit. A gravitate *Spigelius* facit. Infelicius tamen à Gallico *Grefier* format *Lyclama apud Besold. in Thes. Pract. voc.* Graf. Felicissimè *Goldastus Tr. de Major. p. 145. Jod. Willichius in Tac. Germ. Besoldus de Comit. Vossius c. l.* ex lingva Teutonica deducunt, hìc enim antiquis Graf judicem denotabat. vid. *Gutherius de Officiis Domus Augustæ, Pancirollus in Notit. Imp. & Alteserra de Ducib. & Comitib. Provincial. Gall. lib. 1. c. 2. seqq.* Nec quicquam curamus, quod nobis *Arumæus Vol. 3. I. P p. 359. & Reinkingius lib. 1. Reg. Secul. & Eccles. Class. 4. c. 14.* objiciunt. Satisfecit enim illi *Dn. Georg. Casp. Kirchmaier Comment. in cap. 12. Tac. de M. G. p. 208.*

§. 7.

Major quidem lingvæ Teutonicæ cum Græca confinitas est, non tamen ea eò usque sese extendit, ut unam altera priorem esse inferat, aut unam ex altera primitus deducat. Est enim adhuc

sub

ſub judice lis, utrum à nobis Græci, quod referente *Harsdörfero Specim. Philol. Disq. 8. §. 8.* multi contendunt, voces acceperint, an verò, ut alii volunt, nos noſtra vocabula à Græcis habeamus. Alterutri tamen, ut vel contradicas, aut firmiter inhæreas, neceſſe non eſt. Utrumq; enim verum eſt, quòd temporis ſucceſſu multæ voces ex Græca lingva in noſtram & non nullæ ex noſtrâ in græcam tranſierint. Nec tamen hæ ortum græcæ lingvæ ex noſtra, aut illæ originem noſtræ ex Græca probant. Nam *Lazius lib. 1. de Aborig.* ultra ſexcenta vocabula, quæ cum Græcis plane non conveniunt, recenſet. Neque dubium eſt, quin ſint multò plura. Unde igitur illa, ſi ex Græca lingva nata eſt noſtra, ortum traxerunt? Deinde nullum eſt dubium, quin quandoque nonnulli ſatis violenter ex Græcia vocum noſtrarum origines accerſant, quas rectius in noſtra lingva quærerent, ubi & primitiva pleraque invenirent, niſi plurima periiſſent. Porrò quàm infirma illa ſit conſequentia, quæ à vocum ſimilitudine ad originationem colligit, nemo eſt, qui neſciat. Licet igitur ſimilitudinē & conſonantiam admittamus; originationem tamen, quam inde extorquent, non niſi rationibus validioribus victi concedemus. Literas quod attinet, equidem non negamus, vidiſſe Julium Cæſarem, quod mirum ipſi videbatur, in caſtris Helvetiorum Græcis literis conſcriptas tabulas: Nec Druydes Græcis literis uſos fuiſſe inficiamur. Utrumque enim *Cæſar. lib. 6. de bello Gall.* notavit. Quin & temporibus Caroli Magni uſu receptas per Germaniam latinas literas fuiſſe, ingenuè fatemur. Nec tamen quicquam inde noſtræ decedit ſententiæ. Ut enim noſtra lingva, ſi literis hebraicis ſcribatur, quod ſæpius hodie fit à Judæis, non idcirco evadit antiquiſſima; ſic ſi alienis ſcribatur literis, eâ propter venerandâ canitie non privabitur. Accedit, quod ex multorum ſententia dentur aliæ, eæque Græcis & Latinis literis antiquiores, olim per Germaniam uſu receptæ, quæ à Runis ſive veteribus Danis *literæ Runicæ* appellantur, ſed de his inferius pluribus.

§. 8.

Veriſimilior ſentententia lingvæ noſtræ natales ab extructione turris Babylonicæ indeque ſecuta γλωττοσυγχύσει ſeu confuſione

fusione universalis idiomatis repetit. Ex quo enim filii, nepotes &reliqui Noachi postdiluvianæ generationes in eum excreverant numerum, ut capiendis omnibus patrium solum impar esset, aut regio una; Deus jussisse plurimis ex *Josephi lib. 1. Antiq. c. 5.* creditur, ut Noachus Patriarcha omnem terrarum orbem natis suis pro ipsorum numero & multitudine distribueret, ac singulas familias in singulas mitteret partes. Sed nullam præcepti divini habebat rationem malè sana gens; unde soli amœnitate invitata civitatem in terra Sinear extruxit & turrim præaltam: Ideo forsan, ut ad cœlum sibi viam struerent, quæ *Abydeni* sententia est? minimè. Non enim cum Thracibus eò usque credulitatis & dementiæ abibant, ut Cosingam quendam Junonis Sacerdotem per scalas in cœlos ascensurum eosque ibi accusaturum esse crederent, si quid improbè egissent. Aliud siquidem svadebat cum experientia ex siderum cœlique observatione nata, tum recens diluvii memoria, qua aquam quindecim cubitis montes altissimos superasse constabat. Nec ex metu futuri diluvii fecisse crediderim, quod tamen nobis *Josephus* persvadere conatur, dum Babylonicæ turris architectos id sibi proposuisse scribit, ut turrim ædificarent ὑψηλότερον, ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβῆναι δυνηθείη, *celsiorem, quam ut aqua eò usque posset ascendere*, si diluvium rursus ingrueret. Ab eo enim periculo securos eos præstabat solennis Dei promissio, quâ sub iridis signo aquam se posthac nunquam immissurum, promiserat optimus maximus Deus. Quod si vero dixeris, diffisos eos Deo esse, & inde tale quid ausos fuisse: Quis quæso sibi persvaderet, credidisse eos, sese hoc pacto tutos fore, cùm tantum aquarum impetum nulla ædificia sustinerent, nec ulla tam firma moles sit, quam non exedant aquæ per nexus operum manantes? Quin imo id si credidissent, non in loco humili & paludoso inter duos ingentes fluvios Euphratem & Tigrim sito & inundationibus exposito, sed in altissimo aliquo monte vel rupe editissima molem hanc construxissent. Quod alii contendunt, fecisse eos ideo, ut in universali conflagratione tuti essent, minus videtur probabile. Nam demens sit oportet, qui in generali orbis incendio in turri se evasurum speraret. Ut ignes fatuos sequamur, ubi divina lux prælucet, opus non est. Exprimit vero hæc dupli-

cem consilii rationem: Una est ut dissipationem secuturam averteret, & conjunctionem sui communiret, adeoque pro more solito menteque perversa contra mandatum divinum, quod singulas familias in suas partes abire jubebat, ageret: Altera ut gloriam nominis sui tam insigni opere posteris relinquerent. Hoc vero animi superbi indicium erat, contra Deum gloriantis, & propriam, non Dei, gloriam quærentis. Commovit igitur ita justissimum Numen hæc consilii superbia & ista impietas, ut ejus nutu uno momento omnium sermo, qui hactenus unus erat, confunderetur. Ex quo imperia non intelligebant inferiores, dubia non percipiebant superiores, media dissociabant pares, consilia intervertebant universi, turbabant sollicitudines, audacia ruebant singuli, & labore confundebantur omnes. Reliquerunt igitur, quod acriter antea urgebant, opus; & per universum terrarum orbem secundum lingvarum idiomata dispergebantur. Ne tamen omnes à se invicem distraherentur, non singulis hominibus Deus, quæ ejus erat clementia, proprias indidit lingvas, sed summa cum æquitatis tum sapientiæ laude singulis familiis diversam lingvam concessit, quam qui intelligerent, societate conjuncti coloniam facerent propriasque sedes quærerent, ubi fixi vitam communem ducerent. Plura huc facientia vide apud *Bochartum in Phaleg lib. 1. c. 13.* & *Waltonum proleg. 3. ad opus Biblicum.*

§. 9.

De modo quo in certam familiam primùm lingvæ nostræ notitia est introducta, postquam eam cognitio hebrææ deseruerat, quid certi statuere, altioris indaginis res est. Unde posthabitis *Philastrii Brixiensis Episcopi, in Catal. Hæres. c. 106. ab Alphonso de Castro lib. 9. advers. Hæres.* refutati & aliorum commentis, *Merceri* quidem moderatio placet, qui arcana Dei ratione & nobis ignotâ factum existimat. Non tamen displicet judiciosissimi *Dorschei in Admir. Gloss. Domini Jesu p. 630.* super ea re judicium: *Cogitandum*, inquit, *nobis est, ut hujus Glossarthias divinitatem percipiamus, in plurimorum hominum animis è quibus in oris regionem ad loquelam absolvendam proficiscitur imperium, abditam fuisse memoriam eorum vocabulorum universam, atque interversam,*

quæ

quæ ex infima pueritiæ annis secum ad virilem consvetudinem attulerunt, adeo, ut veteribus loquendi formulis compellati nec quicquam intelligere potuerint. Cogitandum nobis est, non tamen elingues istos homines fuisse factos & omni orationis destitutos facultate, sed omnino omnium rerum actionumque nominandarum in promtu habuisse vocabula. Cogitandum nobis est, non eorundem priscorum vocabulorum trajectionem tantùm quandam factam esse taliter, ut quod nunc huic designandæ rei divina informatione erat destinatum, postea ad aliam turbatis mentium imaginibus translatum fuerit: Sed lingvam omni ex parte à primitiva separatam perfectamque divino imperio communicatam. Cogitandum nobis est, non ex arbitrio atque quadam confingendi temeritate homines istos in nova verba atque loquendi figuras prorupisse, sed hæc omnia à cælesti dependisse dictamine. Cogitandum nobis est, non miseras & malè cohærentes fuisse voces, quas injecit animis puniendorum Deus, sicut prædones solent pretiosa rapta veste pannos atque malè consutos centones miseris peregrinantibus objicere: Sed certis undiquaq; omnia concatenata atque coordinata fuisse legibus vocabula, ut plenarii idiomatis officio responderent, & integræ nationis commercio satisfacerent.

§. 10.

Quænam vero illa fuerit familia, cui Deus primùm lingvam Teutonicam concessit, & quod familia caput habuerit, deficientibus ejus rei Scriptoribus fide dignis & in tanta antiquitate intricatum admodum est & obscurum. Hinc videas, quàm sese torqueant, quàmque in diversas abeant partes Autores. Nonnulli Chamum lingvæ nostræ autorem faciunt, quâ & in confusione usum & eandem ad nos transtulisse dicunt, petitô argumento ab urbe ad mare sita, cui Hamburgum sive potius Hammeburgum (ita enim à Ludovico I. literis Aquisgrani datis scribebatur) nomen est, quam ab autore Chamo dictam referunt. Verùm quantò credibilius est, à Gambriviis populo Germaniæ apud *Tacitum in Germania & Strabonem in VII.* nomen esse urbi? Qui Japheti posteris tribuunt, qui hanc orbis partem incoluerunt, ad veritatē accedunt propius. Non minus tamen nobis hi quam illi à vero aberrare videntur, qui primum Germanorum nostræque lingvæ parentem Ascenazem faciunt. Nec quicquam affirmantium multitudine terremur. Sæpe enim

imò à vocula Ham silvam s. forestum connotante. Linn. in 7. T.

obser-

Observatio crevit
Ex uno quondam malè cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus, seriusque nepotibus aucta.

Quin potius placet *Vossii*, quam ex *Jer.51.v.27.* hausit, sententia. Ita enim ille expressis verbis *lib. 1. Idol. c.38.p.277. Sic statuo,* inquit, *Ascenazim non esse Germanos, ut cum Judæis plurimi censent, sed Troada, Phrygiam, Bythiniam Æolidem & tractus vicinos: Nec alias quàm basce nationes intelligi à Propheta Jeremia.* De aliis, qui idem sentiunt, diximus superius. Ne tamen in incerto subsistamus, aut in suspenso relinquamus cupidi Lectoris animum, Gomerum potius, quàm alium quemque Germanorum parentem nostræque lingvæ autorem fuisse, tamdiu credimus, donec evidentiores & firmiores rationes, quàm quæ pro altera sententia adduci consveverunt, aliud evincant. A Gomero enim Gallos, quos Græci Galatas vocabant, *Gomarenses* olim dictos fuisse, *Josephus lib. 1. Antiqu. c. 7.* testatur. Scythas verò cum eosdem ac Cimmerios faciant, & *Cimmeriorum* nomen à Gomero profluxisse *Camdenus* & *Merula* agnoscant; patet, eundem Gomerum ex Asia ad Mæotidem paludem, Bosphorum Cimmerium & alia loca Scythis habitata venisse. Atque ex hac Scythia velut communi officina gentium effusa nationum agmina quæ patriam nostram impleverint, constans est nonnullorum sententia. Fidem huic conciliat *Ptolomæus lib. 6. Geograph. c. 14. & 15.* qui procul dubio digitum intendens in communem nostram patriam, in descriptione Scythiæ *Alanos, Almanos, Suebos, Suobenos, Sosonas* &c recenset; & *Nicephorus Gregoras, Cimbros* & *Teuthonas* revera Germanos, pro Scythis habet. Et hæc quidem sententia ita verisimilis est, ut eam ex eruditis sequantur *Reinerus Reineccius part. 2. Hist. Jul. de Regno Pers. p. 26. Claud. Salmasius ad Tabulas Cebet. Marc. Zuer. Boxhorn. in Epist. ad Blankard. Adam. Olear. l. 5. Itin. Pers. cap. 24. p. 615. Elias Schedius de Diis Germ. c. 1. p. 4. Waltonus ad Bibl. Polyglott. prol. 16. n. 4. Rupertus Observat. in Besold. c. 1. p. 18.* & alii. Nec parum roboris huic sententiæ addit, quod lingva & moribus parum discrepent Scythæ à Germanis. Annotavit hoc contra *Hug. Grot. Joh. de Laet. in not. ad illius differt. de Orig. American. p. 152.* Illud verò *Busbequius Epist. 4. Legat. Turc. p. m. 321.* observavit, ubi plura à duobus

Scythis

Scythis relata refert vocabula, quæ aut eadem sunt cum nostris, aut ab iisdem parùm differunt.

§. 11.

Quo duce in Scythiam lingva nostra fuerit translata, & per quos in Germaniam pervenerit, non certò quidem, probabiliter tamen diduximus. Sed an nostra illa fuerit, dubitaverit, quicunq; cum *Lipsio Cent. 3. ad Belg. Epist. 44.* fecerit. Ille enim tantum abest, ut antiquissimam Celticam pro nostro habeat, ut maximè variatam nostram planeque alienam ab illa existimet. Nec deest sententiæ color, aut errori fucus. Omnia enim ab hodierno sermone divertere, verba plura ignota & desita esse, ipsas terminationes, casus, conjugationes plurimùm differre, scribit. Congessit & in hanc rem multa vocabula, quibus suum probare conatur institutum. Sed ni fallor, frustraneo conatu. Quàm enim illa, quæ Lipsius adducit, cum nostris conveniant, elegantissimè *Schottelius Orat. 3.* ostendit. Terminationes vero, casus & conjugationes veterum à nostris plurimum differre, vix erit, qui negaverit. Qui enim fieri potuit, ut vel inter se, vel cum seris nepotibus convenirent loquentes, quorum lingva nullis continebatur regulis, nullis circumscribebatur limitibus, nullis adminiculis nitebatur, præterquam fluxo nec satis stabili usu & cœca consvetudine? Et inde eos sæpissimè non solùm in exprimendis casibus & terminationibus lapsos videas, sed etiam in numeris. Testatur id de se ipse ante annos 800. *Otfridus monachus in Præfat. ad Luitbertum Archi-Episcopum Moguntinum,* dum: *Hujus,* inquit, *lingvæ Teutiscæ proprietas nec numerum, nec generm me conservare sinebat, numerum pluralem singulari, singularem plurali variavi, & tali modo in barbarismū & solœcismum sæpe coactus incidi.* Introducit vero casuum terminationumque varietas & diversus pronunciandi modus eam dissimilitudinem in lingvam nostram, ut vel rideres antiqvitatem, aut diversam planè judicares, si quis ex veteribus tuâ loqueretur. Pateret res exemplis. Sed chartæ angustiæ non ferunt, ut hùc transscribam, quæ *Schottelius Orat. 3. ex Otfrid. Orat. ad Ludovicum Carol. M. filium & Willemmo in Cantic.* recenset. Quod si tamen ibi in literas radicales vocesque primitivas sedulo inquireres, & in nostra & in illa antiqua easdem invenires. Adeoque si quædam dissimilitudo occurrit, ea non nisi in acci-

dentalibus & variatione arbitraria, videlicet terminationibus casuum, generum, temporum, vocalium appositione & demptione consistit. Quæ sane mutatio lingvam non facit planè diversam. Id quod vel invitus nobis *Lipsius* concesserit. Ipse enim, ut erat acerrimus antiquitatum Romanarum vindex, vix admiserit, diversam planè lingvam latinam fuisse illam, quæ statim post Regum ejectionem in urbe vigebat, ab illa, quæ annis trecentis post usu recepta erat. Testatur verò *Polybius lib. 3. hist.* articulos fœderis inter Romanos & Carthaginenses, quod paulo post Regum expulsionem factum est, vix intelligi potuisse à doctis sui seculi & antiquitatum studiosis: Quod tamen fœdus vix ante 350. annos factum erat. Quod si vero & hoc Lipsius concederet, quid prohiberet, quo minus itidem diversam lingvam illam diceres quæ ante 150. annos ante Ciceronem floruit cum eâ, quæ in ipsum Ciceronis ævum incidit? Nam etiamnum hodie Romæ videre licet columnam rostratam in Capitolio, in ædibus Conservatorum, à rostris navium, quibus ornata conspicitur, dictam, memoriæ Duilii Consulis Romani dicatam, qui primo bello Punico victoriam navalem contra Carthaginenses reportavit, non ultra 150. annos ante Ciceronis tempora, quibus maximè floruit lingva latina: Cujus verba quæ legi poterant, multùm à Ciceronis discrepantia exprimuntur, ut ex utrorumque collatione patet. Vid. *Waltonus in Appar. ad Op. Bibl. proleg. 1.* ubi ex *Breerewoodo* collationem verborum instituit. Addit tamen Lipsius veteris lingvæ verba plura ignota & desita esse. Colligas id ex urbium, nemorum, montium & utriusquè sexus nominibus propriis, quorum significationes plerumque ignoramus, ea tamen rebus significandis absque ratione à veteribus imposita esse, non crederem. Quid igitur inde sequitur? Forsan, aut veteres Germanos olim germanicè non locutos, aut nostros nunc homines germanicè non loqui? Neutrum profectò: nullo modo. Novimus enim, ita comparatum esse cum lingvis, ut semper variationem vocumque vicissitudinem admittant. Quod scitè *Poeta* notat, quando canit:

Multa renascentur, quæ jam cecidère, cadentq;,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

Quod

Quod verò omnia ab hodierno ſermone divertere ſcribit, in eo non poſſumus, quin diſſentiamus. Habet enim noſtra hæc cum priſca Todiſca eaſdem radices, eadem præfixa & ſuffixa, eandem compoſitorum rationem; quæ omnia poſt *Schottelium de L. G. lib. 2. & præmiſſ. orat. 3. & 6. nobiliſſ. Harsdörferus Specim. Philolog. Germ. Diſqu. 4. §. 13. ſeqq.* prolixè perſequitur.

§. 12.

Unde lingva noſtra ortum traxerit, & an antiquiſſima illa à noſtra differat, vidimus hactenus; quod igitur ordo poſtulat, modum conſervandi & propagandi eandem nunc explicabimus. Modus conservandi & propagandi.
Eſt verò ille, ut aliarum quoque lingvarum, geminus: Unus quidem isque naturalis, qui lingvæ beneficio ſonos format concinnos rebus ſignificandis, & quotidiano uſu ad nepotes derivat. Alter artificialis & conſtantior, qui ſtylo aut calamo fit; hujus enim & chartæ beneficio modum excogitarunt, penitiſſimas animi cogitationes alii cuique communicandi, etſi longiſſimè loci & temporis intervallo diſtanti, colloquendi cum his, qui in remotiſſimis terris verſantur, cum iis, qui nondum nati ſunt, aut demum poſt mille aut decies mille abhinc annis naſcentur: Idque quanta facilitate! Nimirum pauciſſimos characteres in charta inter ſe variè jungendo. Prolixius hoc diducit integrâ oratione in erudito libro *de communi ratione lingvarum Theodorus Bibliander & Gaſſendus in Philoſ. Epic. Magnus Galilæus Syſtem. Mund. in Colloq. 1. diei ad fin.* iſtum modum vocat *omnium admirandarum inventionum humanarum ſigillum.* Sed quis autor ejus ſit, in tanto diſſentientium numero dubium ferè eſt & incertum. Nonnulli literas æternas, ſemperque apud Aſſyrios fuiſſe ſtatuunt, in qua ſententia & *Plinius eſt lib. 7. Hiſt. Nat. c. 56.* Iis qui ante Adamum vixerunt peſtilentiſſimo de Præadamitis dogmate, quod ex Rabbinorum lacunis, ut *Bangio in Cælo Orient. Exercit. 2.* placet, ceu ex orco reduxit, aut ex *Jordano Bruno Dominicano,* ut vult *Joh. Henr. Urſinus de Zoroaſt. p. 4.* hauſit, inventionem literarum tribuit *Peirerius* cum *Hugone Grotio,* qui tamen ſenſim errorem ſuffocaſſe creditur. Multi literarum inventores Phœnices fuiſſe dicunt; quæ ſententia ita olim recepta fuit, ut literæ communiter Phœniciæ & Cadmeæ, *Φοινικήϊα & καδμήϊα* γράμ-

γράμματα dicerentur ab Autore Cadmo Phœnice. *Hesychio* ἐκ φοινίζαι, *Phœniciſſare*, eſt ἀναγνῶσαι, legere. *Plutarchus* mare advexiſſe ſcribit ἐκ Φοινίκης γράμματα μνημόσυνα λήθης, *ex Phœnice literas adverſus oblivionem remedium*. Vide inſuper *Victorinum lib. 1. cap. de Orthograph. Iſidorum orig. lib. 1. c. 3. Geographum anonymum ſub Conſtantino cap. 18. & Athanaſium contra gentes*. Et vera videtur ſententia, ſi de Græcis tantùm literis intelligatur, non verò ſi de literis univerſim. Licet enim duplici argumento *Tzetzes* probare conetur, Græcos literas habuiſſe ante Cadmum; utrumque tamen argumentum futiliſſimum eſſe ſcribit illuſtris *Scaliger in Euſebium*, eò quod utrumque geſtum fictum ſit à Poetis. vid. *Sam. Bochartus in Phaleg. lib. 1. c. 20.* Alii Ægyptiis literarum inventionem adſcribunt, ut apud *Plinium lib. 7. Hiſt. c. 56.* videre eſt. De Mercurio idem tradit *Diodor. Siculus l. 2. Plutarchus in Sympoſ.* & *Cicero de Nat. Deor. lib. 3.* Ex Patribus quoque hujus ſententiæ mentionem facit *Tertullianus de Coron. Milit. c. 8.* & *de Anim. Teſtim. c. 5. Plato* Ægyptios literas docuiſſe ſcribit Teuth, quem Mercurium eſſe volunt. Imo ſingulas literarum formas à Taauto ſeu Mercurio inventas deſcribit *Kircherus Oedip. Ægypt. Tom. 3. Diatr. 2. Philo Biblienſis* Græcus interpres Sanchuniathanis, qui res Phœnicias ſcripſit circa tempus Semiramidis, (ut ex *Euſeb. Præpar. Evangel. l. 1. c. 10.* & *Porphyrio* ἐν τετάρτῳ τῶν χριστιανῶν λόγῳ conſtat) memorat quidem *Commentarios Taauti de cultu Deorum* & ἱερὰς γραφὰς in quibus ſerpenti divinam naturam Taautus adſcripſerat. Hæc tamen dubiæ fidei ſunt; nam librorum illorum nemo præter Philonem meminit, nec præter nudum nomen quicquam eorum à multis ſeculis extitit. Imò ſunt viri docti, qui omnia de Hermete iſto fabuloſè conficta putant, de quo vid. *Conringius lib. de Hermet. Medic. c. 7.* Præterea certum eſt, Aſſyriam longè ante Ægyptios Aſtrologiam excoluiſſe, quod ſine literarum uſu fieri non potuiſſe teſtatur *Proclus Lycius in Comment. ad Platon. Timæum.* Forſan tamen verum eſt, Ægyptios primùm & ſolos habuiſſe literas hieroglyphicas, niſi priores his Chinenſium fuiſſe dixeris, quæ tamen non tam literas Alphabeti, quàm res ipſas denotârunt. *Athanaſius* quidem *Kircherus* in erudito opere, quod *Oedipi Ægyptiaci* titulo publicavit,

pro-

probare conatur, literas primas fuisse Ægyptiacas, quas in Græciam intulerit Cadmus, ipsasque Cadmæas easdem fuisse cum Ægyptiacis, quarum figuras ibi describit *Tom. 3. Diatr. 3.* præluforia. Sed nullam planè vim ipsius argumentis inesse, eruditè & prolixè monstrat *Waltonus Appar. ad Bibl. Polyglott. proleg. 2. p. 7.* Sunt qui ad Mosen literarum inventionem referant, quod ex veteribus facit *Eupolemus apud Clem. Alex. lib. 1. Strom. & Eusebium lib. 9. de Præpar. Evangel. cap. 26.* nisi in illo pro γράμματα legendum potius est γραμματικὴν, quod placet *Dn. Joh. Andr. Bosio, Hist. P. P. nostro undiquaque celeberrimo, in Introduct. ad Hist. Univers. c. 1. §. 15.* è recentioribus verò *Johannes Eusebius Nierenbergius* Scriptor Pontificius admodum eruditus. Sed quî hæc sententia subsistat, planè non apparet. Præter hoc enim quòd dissentiunt ex Eruditis plurimi, destruit eam Lex tabulis lapideis inscripta antequam quicquam scriberet Moses, & *liber Bellorum Domini*, cujus ille meminit Num. 21. Longius igitur & à Setho quidem literarum usum arcessunt *vetus Scriptor apud Suidam, Georg. Sincellus apud Glycam lib. 2. Annal. Gregor. Abulpharajus in Histor. Dynastiarum* arabicè conscripta, sed latinè à *Pokokio* versa & Londini edita, & alii. Tutissima hac in re videtur sententia, Adamum primò omnium literas invenisse, easque Sethum docuisse, inde Noacho ejusque posteris cum prima lingva traditæ sunt, & usque ad lingvarum confusionem remanserunt: Ubi cum novis lingvis temporis progressu etiam novi characteres excogitati sunt, veteribus apud eos, qui primævam lingvam retinuerunt, servatis. Vid. *Petrus Lambecius Prodr. Hist. lit. lib. 1. c. 20.* & *Waltonus in Appar. ad Bibl. l. c.*

§. 13.

Serius id in nostrâ gente factum esse sentiunt ii, qui post fata demum Friderici II. ante annos circiter 400. lingvam nostram scribi cœpisse literis latinis statuunt, quod *Aventinus lib. 1. Annal. Boj.* probare conatur scriptis antiquis germanicis characteribus latinis expressis. Inde enim colligit, tunc temporis nostras literas nondum extitisse, sed subinde ex latinis natas fuisse. Sed probè hìc notandum injungit *Schottelius*, Aliud esse, nosse ac perpendere commune initium scriptorum jam usitatorum, litera-

rum, Epistolarum, legum, jurium & historiarum sub Imperatorum Germanicorum auspiciis editarum, & aliud esse ipsam investigare antiquissimarum radicum & literarum originem aut de iisdem disquirere. Sive, aliud esse de inventione literarum linguæ matricis primævæ quicquam statuere, & aliud de tempore quô usus scribendi publicè increbuit, quid certi asserere. Celebravit quidem Rudolphus I. Noribergæ comitia, mandavitque ibi, ut omnia mandata, edicta, privilegia patrio conciperentur sermone & charactere Germanico, quo omnes intelligerent, nullibi alieno Germanos Imperio parituros; Tantum tamen abest, ut antea hôc ipso idiomate nihil sit scriptum, ut potius exinde fluat, omnino olim in usu fuisse nostrum scribendi modum. Quî enim in Imperio loco latinæ abrogatæ potuissent uti Germanicâ eademq; literaturâ, nisi hæc ipsa ejusdem scriptio prius innotuisset? Satis de eo constat ex *Goldasti* collectaneis, qui plures Constitutiones Imperiales Germanicas collegit, procul dubio literas si spectes, Rudolphi edicto antiquiores. Longius quidem abeunt, non minus tamen aberrant, qui Carolum Magnum scripturæ Teutonicæ Dædalum constituunt, inde explosione potius, quàm fide dignos censet *Goldastus Præfat. Animadv. in Paræn.* cùm ille nihilo magis fuerit, quàm Alex. Magnus Græcanicæ, aut Romanæ Julius Cæsar, quorum æmulus extitit.

§. 14.

Ad fidem historicam accedit propius sententia eorum, qui antequam per Germaniam literæ latinæ adhiberentur, Græcam literaturam usu receptam fuisse referunt. Certum enim est, à Græcis ad Gallos Narbonenses diu ante natum Salvatorem unà cum literis omnem Græcorum sapientiam translatam fuisse, ubi Massiliam celeberrimum maris emporium Musarumque domicilium extruxerunt. Undè *Lud. Cælius Antiqu. Lect. lib. 16. c. 8. Ciceronis, Valerii Maximi, Livii & Cornelii Taciti* autoritate disciplinam gravissimam tribuit Massiliensibus. *Plautus in Cas. act. 5. Sc. 4. v. 1.* mores Massilienses optimos dicit & probatissimos. *Cicero in Orat. pro L. Flacco* non Græcis solùm sed cunctis anteponendam gentibus existimat, eò quod non tum temporis solùm, sed & ante Ciceronem, virtutis cupiditate Massiliæ tanquam ad mercaturam artium confluerent omnes. Atque inde usus literarum

Pugnant cum his q[uae] scribit Annius Viterbiensis ap. Schott. ... p. 134 ... 45


Græcarum ita invaluit, ut Galli iisdem in omnibus ferè rebus actisque publicis & rationibus privatis uterentur, teste *Cæsare lib. 6. de B. G.* Quin & ultra Galliæ limites per Europam, quantum quidem iniquitas temporum & nationum barbaries permitteret, Græcarum literarum studium progressum esse, nobis inde persvademus, quod *Julius Cæsar* in castris Helvetiorum tabulas viderit, literis Græcis conscriptas. Verùm ab eo tempore, quo Transrhenani Teutones, Francique & Gothi cum Burgundis Gallias invaserunt & deprædati sunt, bonas literas diuturnum silentium ita premere cœpit & multa nox, ut præter memoriam, eamque non satis tutam, utpote ex monumentis in confinio Germaniæ Rhetiæque & nonnullis tumulis, Græcis literis, ut ferunt, inscriptis, natam, vix quicquam restaret. Et de ista temporum serie intelligendus *Tacitus* videtur, cum *de M. G. c. 19. n. 3.* inquit: *Literarum secreta viri pariter atque fæminæ ignorant.* Quæ verba non de omnibus pariter intelligendà esse monet *Beuterus in Comment. ad Tac. p. 125.* Rediit tamen felicius fatum Germaniæ, & melior bonis literis illuxit dies; Temporibus enim Caroli Magni florere literæ erigique scholæ cœperunt, cum eo tamen discrimine, ut in locum Græcarum Latinæ literæ succederent, quarum beneficio ipse Imperator Grammaticam teutonicam conscribere cœpit, sed, *Eginhardo* teste, difficultate rei deterritus, reliquit, quod cœperat opus.

§. 15.

Antiquissimus quidem ille scribendi modus fuit, quo olim lingvam nostram scriptam fuisse reperimus: antiquiorem tamen, qui in septentrionali plaga viguerit maximè, fuisse tradunt literarum Runicarum patroni. Explosa nihilominus diu à *F. Ludovico Portugalensi lib. 1. cap. 1. Globi Canon. & Secret. Lingv. Sanct. & Script. Div. Salicæi* Episcopi Toletani opinio est, qui Alphabetum Runicum Adamo traditum fuisse scribit. Nec placet, quod *Johannes Magnus lib. 7. c. 1.* habet, scilicet: *Eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis & specubus apud Gothos affixa, literarum formis insculpta persvadere posse, quod ante diluvium universale vel paulo post gigantea virtute ibi erecta sint.* Hunc enim ut ducem sequamur, nec ulla nos cogit necessitas, nec permittit veritas. Unde non solum *Olaus lib. 1. c. 26.* nonnihil remisit ab iis, quæ dixerat

frater; sed & scripsisse *Magnum* majori gentis suæ, quàm veritatis amore, viri docti putant; inter quos non immeritò numeraveris *Gerhardum Joh. Vossium de Art. Grammat. lib. 1. c. 9. Bernhardum à Malinerot. de Nat. & usu lit. cap. 3. & Schefferum in Upsalia Antiqu. c. 2. p. 12.* Communis sententia Ulphilæ tribuit literarum Runicarum inventionem, quam amplectitur *Socrates Hist. Eccl. lib. 4. c. 34. Nicephor. lib. 11. c. 48. Angelus Rocha Bibl. Vat. p. 151. Alex. Sardus de Rer. Invent. lib. 1.* qui eum facili lapsu non *Ulphilam* sed *Uffidam* nominat, à quibus nec *Albertus Crantzius lib. 2. Svec. cap. 26.* dissentire videtur. Factum verò id inde credimus, quòd per Ulphilam aut primùm innotuerint literæ Runicæ Romanis, ut vult *Bonaventura Vulcanius*; aut quod antequam Ulphila in Gothicam lingvam Biblia transtulisset, paucis ex ea gente literæ essent cognitæ, quod *Theodoro Zwingero Theatr. human. Vol. 4. lib. 1.* placet, & *Gerb. Joh. Vossio de Art. Grammat. lib. 1. c. 9.* Nequaquam vero ita intelligi velim, quasi primus literarum Runicarum autor Ulphila fuerit. Vixit enim hic anno Christi 380. vel, ut alii volunt, 370. ast verò si certa & indubitatæ fidei monumenta sequamur, relictis iis, de quarum ætate ob nimiam vetustatem dubitari potest, occurrunt in Dania haud pauca quæ sexcentis annis ante Caroli Magni tempora literis Runicis sunt exarata; quæ cum aliis, conjunctis unà in hoc genere curâ & studiis *Haraldi Huitfeldii* Regni Daniæ quondam Cancellarii, *Bonaventuræ Vulcanii* Græcæ Lingvæ Prof. in Acad. Lugd. in Batavis, *Petri Lindebergii, Arngrimi Jonæ* Islandi, *Wolffgangi Lazii, Rabani Mauri, Jacobi Bonaventuræ, Hepburni* Scoti, *Turnheuseri* & *Purchasii*, illustravit *Olaus Wormius* insigni opere *de Literatura Runica.* Pari studio eundem laborem enucleandorum monumentorum in Svecia in se suscepit *Johannes Bureus*, Regni Svecici quondam antiquarius & R. Archivi Secretarius, dum lapides Runicos, qui ingenti numero delineati ærique incisi in Archivo Cancellariæ Regiæ servantur, accurata explicatione illustravit, quorum nonnullos, ut sponsores essent ceterorum suo tempore subsecuturorũ, edidit *Henricus Curio.* Literæ quæ ibi occurrunt, varii quidem generis sunt; placet tamen, cum non desit typus, rariores hîc loci exprimere:

Exinde



Exinde hodiernas nostras natas esse Nobiliss. *Harsdörfero Specim. Philol. Teuton. Disqu. 6. §. 6.* verisimile videtur; quod eò credideris facilius, quò magis inter se conveniunt nostræ cum illis, quas ex præscripto antiquissimæ membranæ ponit *Lazius de Gent. Migrat. lib. 9.* Nisi verisimilius videtur, ex Latinis potius ortas esse nostras; vix enim lac lacti aut ovum ovo ita simile est, quàm sunt nostræ latinis literis, quas in antiquis membranis reperies. Ne verò mireris, omnes ferè rectas esse, non in se per gyrum ductas, aut aliò modo incurvatas; id inde esse nonnulli conjiciunt, quòd ductus illi facilius exprimi possent in lapidibus aut lignis, quàm alii. Cum enim charta aut papyro veteres carerent, stylo utebantur ferreo, quo sæpius iteratis ductibus, lapidibus, ossibus, carnibus aut lignis literas imprimerent. Inprimis verò, quòd & frequens esset, & recipiendis literis aptior, fagô utebantur; unde Germanicum nostrum Buchstabe natum *Harsdörfero* & *Wormio* videtur. Nihil enim vocem illam denotare aliud dicunt, quàm fundamentum literæ præcipuum fago impressum, quasi diceres: Ein Stab so in eine Buche gepreget ist.

Olaj Worm p. 7. Schott. p. 55. §. 13.

Schottel. p. 57. §. 8.

§. 16.

Licet verò hic modus conservandæ lingvæ nostræ & ad posteros transmittendæ maximè idoneus sit, inprimis nostris temporibus, ubi frequentior est, & maximè sedulus per omnem ferè Germaniam Typographorum labor accessit; infirmior tamen erat quondam, quàm qui sustineret validissimos impetus à *Johanne Bodino in Meth. Hist. & Waltono in Appar. ad Bibl.* descriptos, quibus lingvæ subjiciuntur, mutantur, confunduntur, evertuntur. Quod enim primum est, ut aliarum rerum, sic lingvarum quoque suæ sunt periodi, suæ vicissitudines, quibus florent,

 crescunt,

crescunt, decrescunt. Mutantur homines, inquit *Trithemius*, variantur & mores; Mutantur animi, variantur & vestes; lingvarum alteratur simplicitas, & prisca idiomatum proprietas. Provenire verò id inde videtur, quòd lingvarum censor universus populus est, qui non solùm nullas admittit leges, ut sic vel sic loquatur, sed & ita mobilis est, ut sunt ingenia. Accedit, quod novis rebus, novisque inventis nova cudenda sint nomina, & in artibus omnibus, scientiisque vocabula propria rebus imponat necessitas, aut inferat curiositas. Inde factum est, ut in lingva Græca, quæ omnium copiosissima est, magna facta sit mutatio; nec dubium est, quin paupertati angustiori aliarum idem acciderit. Deinde ex vicinitate, coloniis, religione & artium progressu, lingvas mutari, quotidiana ferè testatur experientia, &, si opus foret, illustri lingvæ Gallicæ exemplo declarari posset. Id verò plerumque evenit, ut in victos simul cum imperio victorum lingva derivetur. Docet id nos lingva latina, quam ut propagarent Romani, totis viribus nitebantur, *Augustino* teste *de C. D. lib. 19. c. 7.* Unde nec legatis aditus ad eos patebat, nisi latinè loquentibus, nec instrumenta, leges & Prætorum judicia admittebant, nisi quæ hac lingva concepta erant; Quin & nulli inter suos locum concedebant, nisi qui & loquentem intelligeret, & latinè loqui sciret. Inde virum magnum in Græcia per Claudium ex albo erasum, quod latinè loqui nesciret, apud *Dionem Cassium* reperies. Tandem ad mutationem lingvæ variatio pronunciationis multum confert; variat verò illa pro regionis situ cœlique temperie. Sic quibusdam observatum est, quòd populi quò magis ad septentrionem inclinant, voces consonantibus asperrimè collisis sine vocalibus ex intimo pectore & per crebras aspirationes efferant; idque propter summam spirituum vim impetumque caloris. Sic Saxones & accolas maris Baltici ubique ferè medias pro tenuibus & asperatas pro mediis usurpare: Orientales in gutture verba collidere: Occidentales verba in dentibus frangere: Septentrionales & Germanos verba facere in pectore: Gallos in gutture, palato, & pectore, notatum à *Waltono* est. Sic Ephraimitas non potuisse literam ש Sch pronunciare, cum eandem ut ס S efferrent, ex *Judic. 12. 6.* patet. Vid. *Mayerus Prodrom. Philol. Sacr.*

part.

part. II. *p.* II. *seqq.* Plura exempla eaque viva congessit *Boëhinus c. l.*

§. 17.

Non verò unum aut alterum tantum ex quo lingvæ mutantur, sustinuisse nostram; sed omnia quæ hactenus enumerata sunt, fatebuntur, quotquot in eam sedulo inquirunt. Ut enim rerū initia parva sunt, sed suis progressionibus augentur: Sic lingva nostra ab initio nullis verborum lenociniis, phaleris nullis exornata erat. Et hæc velut prima lingvæ nostræ ætas, primaque ejus periodus erat. Progressu temporis verò paululum à pristina simplicitate recedebat & nonnihil augebatur, quæ velut secunda ætas in tempora Caroli Magni incidit. Hic enim cum opera Petri Pisani præstantis tum in re Grammatica viri latinæ & Græcæ lingvæ cognitionem ita adeptus esset, ut efferret illam expeditissimè, hanc sufficienter intelligeret; è re sua fore putabat, si aliquam operam lingvæ quoque patriæ destinaret. Quare *Nannone, Theobaldo, Albino & Berengario* adjutoribus conatus est ad imitationem Græcorum & Latinorum lingvam Teutonicam regulis & præceptis elegantiorem reddere, omnique barbarie exuere. Sed gravissimis imperii negotiis & variis bellorum motibus præpeditus morteque ipsa præventus, non absolvit, quod cœperat opus. Rudimenta tamen ejus extitisse, quibus in scribendis carminibus *Otfridus* monachus usus fuerit, *Trithemius* testatur, qui ea sese vidisse scribit, in *Polygraph.* Felicius piissimo Imperatori successit locupletandæ lingvæ nostræ studium. Etiamnum enim durare videbit mensium nomina & ventorum, quæ à quatuor Mundi partibus Imperator petebat, qui *Aventini Annal. Boj. lib.* 4. *p.* 220. evolverit & *Eginhardi vitam Caroli Magni*, inprimis verò eam, quæ Argentorati edita & *Joh. Joachim. Frantzii* vitæ Car. Magn. annexa est, illa enim ex MSC. in margine diversas lectiones exhibet. Quomodo verò sese tum temporis lingva nostra habuerit, non nisi ex monumentis superstitibus iisque paucissimis colligi potest. Plerique in hanc rem adducunt juramentum Caroli, Regi Germaniæ Ludovico præstitum, cujus *Nithardus* meminit in *Historia* à *Bithao* edita lib. 3. & Orationem Dominicam, quam in *Chronico Spirensi* consignavit Lehmannus. Extant tamen, & alia nonnulla inprimis carmina, quæ ut antiquissimum

mum

mum scribendi genus sunt, sic non minus posteris temporibus usu recepta erant. Continebant illa religiosa & annales, ut ex *Tacito* constat, nonnunquam etiam vitæ regulas & morum. Et tale *Reinmarus* von Zwetter reliquit apud *Goldastum c. l.* quo Clericorum πολυπραγμοσύνην incusat & damnat. Recentius quidem est, simplicitate tamen aliis vix cedit Imperatoris Ænobarbi Cancellarii, quod ita habet:

> En Ruche wie die Pfaffen leben/
> Du solt doch dienen Gott an ihn.
> Sin gut ihr Wort ihr Werck sin krump/
> So folge du den Worten nach/
> Ihr Wercken nicht/ als du bist tump.

Exinde apparet, quòd genium populi & lingva imitetur. Nam Franci olim cultum aut ornatum parùm curabant; hinc Germani, quoties vident aliquid vetusta antiquitate labefactatum, antiquitatem laudantes dicunt: Das ist gut alt Fränckisch. vid. *Wolfius in Lect. memor. Cent. 3. sub An. 224. p. 43.*

§. 18.

Tertiam lingvæ nostræ periodum tempora Rudolphi I. sibi vendicant. Licet enim ante hæc Germani alibi famæ & existimationi parandæ & conservandæ satis intenti essent, hucusque tamẽ permiserant, ut omnia instrumenta publica, privilegia, donationes, lingva conscriberentur latinâ, interdum minuslatinè. In honorem igitur lingvæ nostræ Comitia indixit *Rudolphus I.* Norimbergæ habenda, ubi expressô edictô, ut habet *Goldastus Tom. 1. Const. Imp. p 371.* constitutum est: *Ut omnia mandata, edicta, privilegia, pacta dotalia in Teutonica lingva & non ut antea in latina conciperentur.* Hanc Rudolphi constitutionem de lingva Germanica *Maximilianus I.* in Comitiis Coloniensibus anno 1512. confirmavit. Pertinere etiam huc videtur Constitutio Imperii, quâ cavetur, ne in Camera lites aliâ lingvâ intendantur, quàm Germanicâ, adeo, ut subditi Lotharingiæ, Brabantiæ &c. qui in Camera agunt, acta Gallica in germanicũ vertere sermonem cogantur. Non deerat consilio prudentia aut legi vis. Videbant enim piissimi Imperatores & Imperii status, quàm indigna res esset, sese ad quodvis idioma demittere, atque in eodem tacitè

venerari

venerari alios. Inde factum est, ut communis Germaniæ Mercurius lingva nostra evaderet, quam nunc eo pertinacius plures excolebant, quò majorem in foro præstabat usum. Omnes tamen omnium conatus tantum superabat, quantum eruditione & excelsiori spiritu eos antecellebat megalander noster Lutherus. Ipse enim non solum liberiori stylo usus, tot reliquit scripta à *Sleidano de Statu Relig. Gesnero in Bibliotb. p. 501.* & *Simlero p. 582.* recensita, quot vix perlegeret alter, sed etiam divino plane, quo pollebat spiritu difficillimum vertendi sacrum Codicem in se suscepit laborem, ut & legi & intelligi posset ab omnibus. Digno encomio illud institutum prosequitur *Sleidanus*, quando *lib. 17.* ita scribit: *Germanicam lingvam & exornavit plurimum & locupletavit, & primam in ea laudem obtinet, & ea vertit è latino sermone, quæ verti non posse putabantur,* & *significantissimis utitur verbis maximeq; propriis & unica voce rem nonnunquam ob oculos ponit.* Succedebat quidem primum paulò difficilius opus, ut ipse conqueritur *Tom. 5. Jenens. f. 141.* sed crescebat in eo unà cum vertendi fervore & assiduo exercitio felix notitia, ne amplius difficilis esset labor. Hinc δόκιμοι φροντίδες Lutheri primam Bibliorum versionem anno 1524. Wittebergæ publici juris factam in pluribus locis mutabant, & denuo prelo subjiciebant anno 1539. Cujus quidem primum exemplar ipsa B. Lutheri manu emendatum etiamnum inter rariora Bibliothecæ Academicæ Jenensis asservatur.

§. 19.

Aurea hæc merito lingvæ nostræ vocatur ætas & periodus quarta. Postquam enim B. Lutherus glaciem quasi fregerat, magno numerô sequebantur alii. Quò faciebat plurimùm quòd anno 1617. nunquam satis laudato conatu ea fini, ut nostra excoleretur lingva, illustrissimus fructiferorum Ordo institueretur, capite tum supremo & primo Fructiferæ Societatis architecto, Illustrissimo Principe Anhaltino Ludovico. Quod institutum ita plerisque placuit, ut sub ejus & duorum Serenissimorum Saxoniæ Ducum Wilhelmi glor. mem. & Augusti, quem diu sospitem Patriæ servet opt. max. Deus, auspiciis, Rex unus, tres Electores, novem & quadraginta Duces, quatuor Marchiones, decem Landgravii, octo Pfalzgravi, novendecim Principes, sexaginta

E Comi-

Addi debuisset etiam dies, et locus.

Cur Pfalzgravios postponit Marchionibus vel aliis Graviis ille [illegible] eorum violare velle. Sed. [illegible]

Comites, quinque & triginta Barones eum exornarent ordinem; sexcenti verò alii, & quod excurrit, ut Nobiles & viri docti, in eum adsciscerentur. Videri de eo possunt, qui prolixiores sunt, *Harsdörfer* in seiner Fortpflanzung der Fruchtbringenden Gesellschafft/ *Carolus Gustavus* von Hille im Palmbaume & *Nobiliß. Dn. Georg.* Neumarck/ Secretarius Vinariensis, im Palmbaume. Ubi fructiferæ Societatis initia, successum, leges, institutum, nomina, sententias, picturas, & quæ singula membra scripserint, recensent & explicant. Non minus tamen & alii præter eos, qui nomina sua Fructiferorum Ordini dederunt, suam nobis in excolenda lingva nostra operam probarunt. Inde factum est, ut hic divitias vocum ostenderet & abundantiam, ille felicitatem in componendo, iste vim & efficaciam in exprimendo, alius dignitatem & majestatem in proferendo tentaret, successum verò utpote felicissimum admirarentur omnes. Dives nostra lingva est vocibus, nec nunc operâ subsidiariâ alienæ indiget. Probat id illustri exemplo *Georg. Henischius Med. Doct. & Mathematicus Augustanus*, qui Augustæ Vindelicorum anno 1616. *Thesaurum lingvæ & Sapientiæ Germanicæ* edidit, in quo, ut titulus pollicetur, omnia vocabula Germanica tam rara quàm communia cum suis synonymis, derivatis, phrasibus, compositis, epithetis, proverbiis, antithetis continentur. Quod tamen opus tantum ad literam G. usque haud exiguæ molis volumine deductum est reliqua abstulit præmatura viri mors. Abundat lingva nostra in variando, quod nos præter experientiam *Schottelius* docet *Orat. 7.* ubi unam phrasin centies & septuagies variavit, neque dubium esse ait, quin aliorum industriâ augeri possit numerus. Quàm verò componat feliciter, vel inde colligere est, quod quo brevioribus vocibus lingva utitur, eò felicior in componendo est. Quoniam igitur nostra, voces primitivas si spectes, tota ferè monosyllaba est, quid mirum, si in componendi artificio cedat nulli, & omnes exuperet? Imitabatur primum nostra Græcam, sed vincebat temporis progressu æmulatio, quam imitabatur. Hinc voces numero plurimas reperire licet, quas constans hactenus usus approbat & genuina deducendi ratio, quæ ex quatuor, quinque, sex aut pluribus aliis componuntur. Juvat verò non magis felicem compositionem in nostra mira vocum brevitas, quàm quod

parum

parum in fine varientur voces, & ab initio abjiciant articulos. Unde fit, ut variante ſæpe ſignificatione adjectiva ſubſtantivis, & ſubſtantiva adjectivis præponantur, quod in nulla aliâ facilè quàm in noſtra acciderit. Ne tamen res exemplis, nos fide careamus, ex pluribus unum & alterum adduxiſſe ſufficiat. Sic his vocibus ſtar Silber denotamus argentum purum atque perpolitum: Si verò inverſo ordine dixeris Silberſtar/ notabis colorem, qui aut cum argenteo convenit, aut eidem parum cedit. Ulterius populum divitem reich Volck dicimus, populi verò & hominum abundantiam Volckreich appellamus. In exprimendo noſtra eam vim habet atq; efficaciam, ut nulli videatur ſecunda. Apparet id ex vocibus nonnullis Græcis, quas non infelicius noſtra exprimit, quàm illa componit. Sic quem Græci χειροδίκην vocant, eum eadem ratione Germani einen Fauſtrichter appellant; Item quem illi νεφεληχερέτην appellant, hunc hi einen Wolckentreiber vocant. Idem ex nominibus propriis *Lazio* obſervatum videmus *lib. 2. Gallo-gr. p. 32.* Varia enim ille ibi recenſet, quæ Germani Græcos imitantes ſatis nervosè exprimunt. Sic quos hi δημοσθένη, λεωσθένη, ἀρχτοσθένη, δημόβορον, φιλόστοργον, φιλόδοξον, νικόστομον, εἰρηνοποιόν, φιλότεκνον καὶ κεραύνδερ nuncupant, eos Germani Volckhard/ Leonhard/ Bernhard/ Herold/ Lundbold/ Ruhmhold/ Sigmund/ Friedrich/ Witikind/ und Hartmann appellant. Nec ſimplices tantum voces rei hujus teſtes ſunt, ſed integræ quoque orationes. Specimina juxta cum aliis *Harsdörferus* & *Opitius* edidere; Quorum ille multa ex Gallico & Italico idiomate in noſtram tranſtulit, & ſcriptis ſuis inſeruit. Hic verò uno Argenidis Barclajanæ exemplo ab autore latinè conſcriptæ oſtendit, quantum poſſent conatus omnium. Quin & ut nullibi cederet aliis noſtra, nonnunquam ita quod volumus exprimit, ut res ipſæ per eam loqui videantur. Et ſanè quàm ſuaviter luſcinia cantillet per fauces *Harsdörferi*: quàm horrendo tremore tonitruum robur ac fulgur erumpat per verba *Opitii*: quàm graphicè ſeſe nobis ſiſtat tremendum naufragii periculum involucris *Flemmingii*: quàm egregiè acerrimum bombardarum ſtridorem exhibeat *Schirmerus*: quàm eleganter vehementem pugnam & probè conſtructam aciem exprimat *Riſtius*: alternos fabrorum ictus *Gryphius*: aut celerem equi curſum *Neomarcus*, non ſine jucunda animi admiratione legi poteſt. Inde aliquo modo intelliges, quanta ſit

 lingvæ

linguæ nostræ dignitas, quanta majestas, quis lepor, quæ gratiæ & in significando proprietas. *Herculem* lege & *Herculiscum*, rarum Svadæ Germanicæ exemplum, cujus autor *Vir perquam Reverendus Dn. Buchholzius* creditur, & nobiscum facies, si forsan in sequiora te traxerint rationes infirmiores. Sunt nihilominus, qui lingvam nostram, prætérquam quod aliis postponant, ad extremum contemnere audent. Et in horum quidem numero *Arias Montanus* est, indignus certè *Webneri* judicio *in præfat. ad Obs. Camerml.* qui vel eam nosset, vel audiret. Nec mirum est, si dentur ejus farinæ complures alii. Sicut enim ii, qui de literis benè meriti, quando vigilias suas candidè proferunt, iniquos Aristarchos, atque etiam eos, qui in eo genere nunquam versati sunt, sustinere coguntur; Ita fatali quadam in Germanos inclementia lingvæ Teutonicæ splendidissima majestas habet judicem cœcum; ejusdem dulcissima tonitrua habent judicem surdastrum; ignorantiam scilicet hominum exterorum. At sinent fata, pellenda tandem cœcitas, excutiendæ tenebræ, eripienda tandem exteris injusta ostentatio, vindicandum tandem excellens lingvæ Germanicæ fastigium est. Vide omninò, qui falsè dissentientes refutant, *Lipsium Epist. 44. lib. 3. Freherum in Not. ad Fœdus Ludovici Germaniæ Caroliqúe Galliæ Regum*, & *Lansium in Orat. contra Galliam*.

§. 20.

Quæ linguæ nostræ periodi fuerint, & quàm illa creverit temporis successu, vidimus hactenus. Observari igitur nunc porrò meretur, quòd non leve mutationis momentum lingvæ multa inventa attulerint, & res noviter natæ. Ea enim quæ ab initio in gente non extitere, suà quoque nomina posteris temporibus accepisse crediderim. Ast verò ejus generis plurima esse, non ita difficili negotio colliges inde, quòd antiquis pigrum videretur & iners, sudore acquirere, quòd possent sangvine parare, ut est apud *Tacitum in Germ.* Quemadmodum verò nonnisi divini Numinis benignitati tribuimus, ut regio quæ olim aspera cœlo, horridaque & inculta erat, omnibus modis efflorescceret: sic non nisi eidem acceptum referendum est, quod homines aleret genio loci & fortuna sua dignos. Per hos enim exterorum artes & scientias in Germaniam introductas, & novis iisque maximis accessionibus auctas

esse

esse, certum est. In una arte typographica ultra quinquaginta voces *Alstedius* numerat in *Encyclop. lib. 2. Sect. 2.* quæ operariis, instrumentis & variis scripturæ generibus significandis impositæ sunt. Typographiam vero inventum Germanorum esse, consentiunt plurimi, contendentibus inter se de autore ob nominis gloriam Moguntinis & Argentinensibus. Illis novum inventum tribuit *Mallinkrot de Typograph.* Verum hi soli optimè tempus, originem & autorem, quem *Gutenbergerum*, civem quendam Argentoratensem, faciunt, ex Archivo demonstrare possunt. Basileæ in Bibliotheca Academica nonnulli ostenduntur libri inter primos Argentorati anno 1440. excusi. Vid. *Besold. de Typogr.* & *Bombard. D. Adam Schmg.* in libr. Germ. von Erfindung der Buchdruckerey, & *eruditũ D. Mentelii tractat. de Typogr.* quibus adde, si haberi possunt, Orationẽ *Dn. Bæcleri de Typogr.* & Homilias tres *Dn. D. Schmidij* de eadem materia. Ex Batavis gloriã quidem Harlemenses habent, ut cum Germanis de autore certent, non verò ut eos vincant. Amore patriæ ducti vindicationem certaminis assumsere *Hadrianus Junius in Batavia* sua, *Scriverius de inventione Typograph.* & *Bertius*, qui primum librum sub nomine *Speculi Salutis* apud Harlemenses excusum se vidisse testatur in Bibliotheca Scriveriana. Verum quam parum roboris ipsorum argumentis insit *Meierus* aperit *de ver. Germ. Invent.* Unde ut transscribam, chartæ angustiæ non ferunt. Quod si igitur per unam artem tot vocum significationes in lingvam nostram introductæ fuerunt, quid mirum, si plures non omnimodam quidem, aliquam tamen mutationem in eandem introduxerint? Extitisse verò plura noviter inventa à Germanis, post *Guidonem Pancirollum* & doctissimum in eum Commentatorem *Salmuthum*, pluribus exemplis jam laudatus *Michael Meierus* & *Bohuslaus Hassensteinius à Lobkowiz* probant, dum ille de *veris*, hic de *propriis Germanorum inventis* peculiarem edidit librum.

NB. Vet. Coloniensis Chronica primum librum in Typographia ... 1450 dicit. 1420. ... Johannem ... civem Harlemensem invenisse ... typog... gloriam ... voluisse. Sed typos furtim à famulo ejus Joh. ... in nocte nativitatis Salvatoris jam ... Moguntiam allatos esse. ... Gotfried ... in itinerario ... p. 57. ... Harlemi ... monumentum ... apparet.

§ 21.

Aliunde quoque mutatam esse nostram intelligent, quibus lingvarum studium cordi est. Confinitatem enim quandam inter lingvas successu temporis ortam esse hujus rei periti, quorum, proh dolor! pauci hodie sunt, non inficiantur. Cum qua verò nostra cognata potius sit, quàm cum Græca, non apparet. Nec enim in phrasi solum sed in verbis quoque ea convenientia est, ut utrum nos

à Græcis, an Græci à nobis, an utrique ab alia gente, acceperint, rectè dubites. Sic inter phrases Græco-germanicas doctissimus *Berneggerus* refert *Quæst. 11. ad Tacit.* ἅμ' ἡμέρᾳ, mit dem Tage. ἀνὴρ ἀντ' ἀνδρὸς λυθεὶς, Mann gegen Mann außgelöst. βραχὺς γνώμη, ein kurtzer Verstand. ἦν τῆς βουλῆς, er war des Raths. ἀνειλήφει ἑαυτὸν τῆς νόσου, er hat sich von der Kranckheit erholet. Ἐπὶ τῷ ὀνόματι ὡς ἐπ' Ἀθήνας ᾔει, unter dem Nahmen/ als gieng er gen Athen. Quin & paucas in Syntaxi græcâ regulas reperiri scribit à latinis diversas, quæ exemplis Germanicis illustrari non possint. Ex vocibus, quæ ex asse cum nostris conveniunt, multas *Wolfgangus Lazius lib. 2. de Aborig.* recenset, ex quibus non possum, quin exempli loco has adducam: ἀποστρέφειν abstreiffen/ ἐλεημοσύνη, Almosen/ ἀναβάλλειν anfallen/ ἀνάπτειν anhafften/ ἄρεστον Arest/ ἀργὸς arg/ πρωτόγαμος Bräutigam/ βούτυρον Butter/ πυξὶς Büchs/ πύργος Burg; plures addit *Lazius* c. l. & *Berneggerus*. Unde verò illa mutatio nostræ & cognatio cum Græca orta sit, ob dissentientium numerum paulò intricatior res est. Ex vicinitate natam eam arbitrantur, qui Milesios Græciæ Asiaticæ populos sedes suas cum Germanis conjunxisse, indeque mutationem nostræ intulisse scribunt. Sententiæ huic speciem veri conciliat *Ovidius*, quando *lib. 3. Trist.* ita canit:

Sic quoque sunt urbes Graja (quis credere posset?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto missi venere coloni:
Inq; Getis Grajas constituere domos.

Coloniis tribuunt qui causam ejus in navigationem Phocensium in Gallias, Celticamque aut Doriensium Pœonisque in Illyrici tractum, aut in reditum Galatarum ductore Pathanatio ad Istrum referunt. Sunt tamen non minus, qui propter religionem cognationem illam ortam existiment. Druides enim Gallorum Sacerdotes à Tiberio Cæsare Gallia ejectos in Germaniam commigrasse, & nostris majoribus religionem interpretatos fuisse, scribunt Autores non contemnendi. Et quia illi lingua Græca utebantur, ut *Jul. Cæs. lib. 6. Bell. Gall.* refert, nostrates nonnulla vocabula ab his mutuatos esse, verisimile est. Artes verò & scientias vehiculum vocum græcarum fuisse, ut introducerentur in nostram lingvam, ii nobis autores sunt, qui sapientiam Græcorum Athenis

Ma-

Massiliâ in Galliis migrasse, indeque per omnem Germaniam propagatas esse volunt. Plura, quæ mutationis illius causæ esse potuerint, *Lazius lib. 2. de Aborig.* recenset. Forsan tamen conciliari possunt quæ dissentientes esse videntur sententiæ, si dicatur, undique aliquid mutationis traxisse nostram.

22.

Ex Latina lingva non minus in nostram irruisse vocabula, quam ex nostrâ in illam, probari potest exemplo non uno. Sic præeunte illa Nostrates *Templum* Tempel/ *Pyrum* Birn/ *Tabulam* Tafel/ *Nervos* Nerven/ *Sceptrum* Scepter/ *Pestem* Pestilentz/ *Plagam* Plage/ *mantellum* Mantel/ *myrrham* Myrrhen vocant. Ejus generis plura collegit *Lazius lib. 2. de Lingv. Vet. Gallogr.* Sed unde hæc cognatio & lingvæ confinitas? Inde credo, quod in victos simul cum imperio plerumque victorum lingva derivetur. Id tamen non ita intelligi velim, quasi unquam tota subacta fuerit Germania, hoc enim nec ipsum terræ solum, nec cœlum, quo acrius incolæ animabantur, permittebant: Sed quod unam & alteram partem Germaniæ subjugaverint Romani, ex qua deinde beneficio vicinitatis cognatio illa & lingvæ nostræ mutatio transierit ad alias, donec repleret omnes. Subolet nobis hic loci, quod opponi possit, triumphum de Germanis egisse Domitianum, Claudium, Vitellium, Gallienum, qui igitur nunquam victi dicendi sunt Germani? Sunt utique. Nam triumpharunt de iis Romani ante victoriam, & de picturis, literis, figuris, imaginibus potius triumpharunt, quàm de Germania ipsa. Id quod *Sallustio, Floro* & *Tacito* sæpius observatum videbis. Nunquam animum receperunt Germani, quem amiserunt nunquam. Et longo tempore pòst de victricibus Germanorum armis Rudolfus Austriacus gloriatus est, dum, se in qualibet mundi parte cum electis quatuor galeatorum & quadraginta peditum armatorum de Alemannia millibus stare invictum, dixit, ut ejus ævi Scriptor *M. Albertus* notavit.

§. 23.

Si quicquam fuit, quod mutationem in lingvam nostram introduxit diversa sanè populorum & nationum pronunciatio fuit, quam à regionis situ cœlique & aëris temperie dependere diximus superius. Inde enim factum est, ut fœcunda mater diversas filias eniteretur, quas primùm ob pronunciandi rationem, nescio an

satis

ſatis commodè, dialectos vocabant. Succeſſu tamen temporis acceſſione novarum vocum ita diſſimiles matri redditæ ſunt degeneres filiæ, ut rectius hodie pro diverſis lingvis habeantur, quàm ut unius lingvæ diverſa loquendi genera dicantur. Et ejusmodi ſunt Islandica, Norvegica, Danica, Svecica, Anglica, Scotica Hibernica, Gothica, qua in Taurica Cherſoneſo utuntur. Quò etiam Wallicam refert *Schottelius*. Utrum rectè, meritò dubitamus. Tenuiſſe enim eos Britannicam antiquam, quæ ante adventum Saxonum ibi viguit, probabilior ſententia videtur. Illud tamen certum eſt, quod Walli ſeu Cambrobritanni à Saxonibus in aſperos & incultos montes depulſi lingvam longè antiquiſſimam Britannica minimè permiſtam diutius conſervarint quàm aliæ gentes, atque inde ſibi perſvaſerint, lingvam ſuam nunquam interituram eſſe, ut ex *Teleſini Carminibus* liquet. Vid. doctiſſimus *Cambdenus in Britannia*. Quicquid ſit, hodiè tàm multa vocabula Anglicana admixta habent walli, ut eorū lingva rectè aut pro remotiſſima dialecto, aut pro diverſa planè habeatur. Propius ad Lingvam Germanicam Teutisca ſive vetus Saxonica (die Nieder Sächſiſche) & Francica (die Hoch Teutſche) accedunt, & rectè habentur pro diverſis lingvæ unius generibus ſeu dialectis. Utraque tamen iterum pro locorum diverſitate variat. Sic illa in Belgicam, Brabanticam, Friſicam, Weſtphalicam, Brunſvigicam, Holſaticam, Meckelburgicam, Pomeranicam, Màrchicam, Boruſſicam, Livonicam & Saxonum veterum in Transſylvania, *Schottelio Omt. 10.* dividitur. Hæc verò in Auſtriacam, Helveticam, Bojaricam, Franconicam, Svevicam, Miſnicam, Thuringicam, Haſſicam Sileſicam diſpeſcitur, & hucusque feliciſſimè exculta fuit. Neque dubium eſt, fore ut emergat impoſterum ac in lucem protrahatur lingva vetuſta, lingva decens, lingva gravis, ac patria ſuâ tot ingentium heroum nutrice digniſſima. Hanc, ſi cœlo veſtro digni eſtis, amate, hanc expolite, hic viros vos præſtate: Hìc Rhodus, hìc ſaltus. Facite, ut, quam loquendi dexteritatem à majoribus accepiſtis, & poſteris relinquatis. Facite, ut, qui reliquas gentes fortitudine vincitis & fide, lingvæ quoque præſtantia iisdem non cedatis.

F I N I S.